

**Programma Quo Decanus & Collegium Ictorum in Academiâ Rostochiensi Ad Solennem Inauguralis Disputationis Actum In quo Praestantissimus ac Literatissimus Dn. Christianus Klein/ Rostochiensis Iuris Utriusq[ue] Candidatus, In Acroaterio Magno, die 20. Maii, Volente Deo, Respondens stabit, Magnificum Dn. Rectorem ... invitant**

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746161662>

Druck Freier  Zugang







g... P...  
O... 159...

Ja-1125



PROGRAMMA

*Quo*

DECANUS

& Collegium Ictorum

in Academia Rostochi-

ensi

AD

Solennem Inauguralis Disputationis

Actum

In quo

*Prestantissimus ac Literatissimus*

DN. CHRISTIANUS Klein

Rostochiensis

Juris Utriusq; Candidatus,

*In Atrio Magno, die 20. Maij.*

Volente DEO, Respondens

stabit,

Magnificum Dn. Rectorem, Dnn. Professo-

res, omnesq; omnium Ordinum Cives Acade-  
micos & literarum amantes sedulo invitant.

•§ (o) §•

ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII,

Acad. Typogr. Anno MDC LVI.





1919/25 KM. 102





**ACTIONES** forenses, quibus officium iudicis, sive ad acquirendum, retinendum, recuperandum id quod jure nobis debetur, sive arcendum à cervicibus nostris vim iniquam, sive evendum ab injuriis nomen honestum, sive vindicandum crimina & tollendum è medio facinorosos, ex Legum prescripto imploratur; quasq; adeò, juxta cum iudiciis humanis, in statu corrupta natura, inevitabilis quaedam necessitas constituit; & quæ ipsum Deum Φιλάνθρωπον, misericordem hominum indigentia, eiq; adversus iniquitates remedia parantem justa, ut qui justitiæ fons est, auctorem habent; institui re ita urgente apud competentem iudicem, & ab eo recipi, inq; iudicium deduci illas à conscientia posse, in confesso est. Equidem non diffitemur, subeunda antè & experiunda capeffendaq; iis, qui boni sunt, omnia alia ad Pacem facientia, quàm adduci se quisquam ad contendendum cum aliquo coram Tribunali sustineat. nec dixerim ab hac sententiâ svaserit facile, qui conscientiam vel habet, vel eam quoquo tempore ac loco loquentem, ut motum & excitatum divinitus preconem, audire, quàm obsequi cupiditatibus nefariis iisq; insatiabilibus maduit, & tunc bonus. cæterò quin reponendum in beneficiis Supremi iudicis, & suspiciendum penitus, si quando alicubi in orbe terrarum, hoc presertim corruptissimo ac perditissimo seculo, seu ultionem flagitiosis, seu probis securitatem, oppressis patrociniùm, turbatis quietem & tranquillitatem, impetrare valent convenientes flagitanti necessitati actiones legitime. Verum enim verò duo in primis hæc debitandi scopuli, justitiæ oppositi, superfluitas nimirum & confusio causarum forensium. Illa adobruendum tum iudicem, tum Partes iudicio contententes: Hac ad fallendum etiàm ac pervertendum iudicium composita. Utraq; iniquitatis injustitiæq; parens & seges feracissima est. De Litium multitudine eaq; auctà subindè & invalescente passim, quæ omnia

Κ

omnia



omnia ferè opplet ac fatigat usq̄, quaq̄, Tribunalia, ut parum ab-  
sit, quin fatigata macerataq̄, ista propè conficiat aut opprimat,  
boni atq̄, pacifici omnes, quotquot tales non tam dici quam esse  
cupiunt, dolenter hodiè nec immeritò conqueruntur. Referenda  
illa illiusq̄, origo vel ad Actorem Reumq̄, rixosos & contentiosos,  
vel avidos aris argentiq̄, Advocatos, vel imprudentem corru-  
ptumq̄, Judicem. Actor sanè, quem non accendit pruritus aut  
libido litigandi, nec agrè aliis faciendi cupiditas incessit, sed  
impellit, ad agendam in foro causam suam, necessitatis ratio cer-  
ta: Itemq̄, Reus, cui non tam tergiversatio aut destinatum pro-  
positum defatigandi Actorem, quam sui ipsius adversus impe-  
titiones iniquas defensio necessaria cordi est: Nec minus cau-  
sarum Patronus, sive Actoris sive Rei partes agere rogatus, si qui-  
dem & ipse animo fuerit suà sorte contento, & in super consilia  
pacis ac preferendarum litigiis transactionum, in quaestu pra-  
cipuè ac lucro sibi posuerit: Prudens deniq̄, & incorruptus  
cordatusq̄, Judex, qui, ne quaslibet promiscuè actiones citrà  
discrimen admittat, secerner e necessarias à frivolis, & has à li-  
mine Judicii sub initio statim repellere didicit, nihilq̄, seu favo-  
ri seu odio, aut similibus integri rectiq̄, Tribunalis turbatori-  
bus & corruptoribus (ita enim dici merentur affectus reprobi,  
à quibus alienum esse Judicem bonum oportet) sed justitia & sa-  
luti communi, paci, cum privata tum publice omnia dare con-  
stituit; noxia litium, maxime frivolarum atq̄, inanium, multitu-  
dini, viam foresq̄, praecludere, & ubi jam subnato isto incen-  
dio flagrare ceperunt Tribunalia, extinguere vicissim aut dis-  
sipare idem, & sic asserere Judiciorum auctoritatem integrita-  
temq̄, ut fas est, & ipsa necessitas requirit, oppido possunt.  
Nec obstat, quod actionum concursus & cumulatio ipso jure non  
tantum permessa, sed & definita, atq̄, hoc pacto ad multiplican-  
das lites janua reserata dataq̄, licentia videatur. concursus  
enim actionum duarum plurimumve seu ejusdem seu diversi ge-  
neris



neris, eidem aëtori ad versus eundem reum, ex unâ aliquâ  
vel pluribus causis competentium, ita ut singule institui & ex-  
erceri commodè queant, isq; Legibus nostris probatus; sive sit Ele-  
ctivus, ubi unâ actione electâ, aliâ deinceps experiri amplius  
non licet; sive Successivus, quando unâ per sententiam finitâ ac  
terminatâ, alia superest, eaq; capeffenda aëtori ad plenius  
consequendum id, quod ex priorî actione consequutus minus  
est; Sive Alternativus, cum aëtor incertus adhuc Juris sui, &  
utra ex duabus competere sibi actio possit, hesitans ac dubius,  
utrâq; vel plures in Foro alternativè proponit; sive cumulati-  
vus deniq; quo concurrentes & conjunctæ eodem Libello actiones  
plures compatibiles, ad expediendam citius litem ventilari si-  
mul, & unica sententiâ decidi ac definiri possunt; non alium nisi  
hunc de Jure intentum ac præstitutum finem habent, nem-  
pe, ut amplior esset laxiorq; ad persequendum justè debita, & ob-  
tinendum contra iniquitates jus certum, ac in specie quidem  
concurfu Electivo liberior, Successivo plenior, Alternativo cer-  
tior, & cumulativo celerior faciliorg; agendi facultas. Itâ  
indulto definitorg; actionum concurfu & cumulatione, velut pa-  
ratis ostensiq; adversus injurias remediis uberioribus, patro-  
cinari conditores Legum soli justitiæ, & ne aliquis bonâ causâ  
ullo modo cadat, aut periclitetur alicubi de Juribus suis, ipsi pro-  
hibere & cavere prorsus, ventiquam verò libidini aut pruritu  
contentiosorum, quem alioquin magnopere detestantur, favere  
aliquo seu Responso, Edicto, Constitutione, Scito, Placito, Privile-  
gio, seu aliâ quâcumq; lege committi, sinuoso Juris ambitu com-  
prehensâ, voluerunt. Ceterum, uti nihil unquam tam bene  
utiliterq; in mundo constitutum, quod non in abusum verti &  
corrumpi paulatim consuetudine pravâ, adeoq; in ipsa vitiorum  
castra iransire tandem queat; itâ non potuit non etiam eandem  
cum bonis aliis experiri fortunam, quidquid de concurfu actio-  
num à Sacerdotibus justitiæ, bono consilio & intentione salutarî  
disposi-



dispositum, ac publicis Legum Tabulis promulgatum exstat.  
Abuti illo plurimos, vel ad exagitantum indoctiores ac imperi-  
tiores Advocatos, vel decipiendum Judicem incautum, vel ipsos  
innocuos insonesq; Reos miserè defraudandum, sivè mul-  
tiplicatis citra necessitatem Causis, sivè, qua altera  
veneranda Justitia nocentissima pestis est, mixtura & confu-  
sione Actionum inducta, testis eheu! experientia est. Quod cum  
probè secum animo versaret, & in hanc rem ad præscindendam  
tam Superfluitati controversiarum judicialium, quam Confusioni  
nefarie ansam & occasionem omnem, penitiori & accuratiore  
cognitione ardua illius & intricata satis, plurimisq; difficulta-  
tibus implicita Materie, de Actionum concursu, opus esse appri-  
mè censeret Præstantissimus Dn. CHRISTIANUS KLEIN,  
Rostochiensis, J. U. Candidatus, istoc Titulo non abs re dignus,  
placuit illi, quandoquidem pro facultate consequendi summos  
ab utroq; Jure honores & privilegia Doctoralia, quorum gra-  
tia jam ante necessarium in Collegio nostro Examen privatum  
laudabiliter sustinuit, in publicum porro usitato more prodeun-  
dum, & ea qua nobis perspecta probataq; scientia, ceteris quoq;  
patefacienda, & sic totius Academiae Judicio exponenda veniat,  
non aliud huic instituto argumentum quam de CONCURSU  
ACTIONUM, placito consensuq; nostro suffragantibus, desti-  
nare. Destinatum itaq; accuratè feliciterq; elaboravit. Et  
hoc illud ipsum est, quod præviâ censurâ nostrâ, nunc ad solen-  
nem Disquisitionem publicè producit. Eousq; enim telam Stu-  
diorum, modestus pariter ac eruditus Vir-Juvenis, benedicente  
DEO, pertexuit. Crevit is ab ineunte ætate in Scholâ Trivia-  
li Patriâ fidelium Præceptorum informationi subditus, eorumq;  
dicto, ut decet Discipulum probum ac promptum, diligenter au-  
diens, & ita quidem crevit, ut disciplinarum humaniorum, in-  
primis Matheos, cognitione non leviter imbutus, agende post-  
hac Academicæ vitæ aptus omninò judicaretur. Missus igitur  
Regimentum Anno 1647, triennium ibi excolendis bonis artibus  
ac



3  
ac literis impendit. eo completo domum revocatus, de consen-  
su ac voluntate Parentum, cum se amplissimo Legum Studio ad-  
dixisset, tractavit illud sedulo in inclutâ hac Universitate Patriâ,  
tum evolbendo Legum volumina & auscultando docentibus, tum  
sententias in privatis publicisq; Disputationibus conferendo;  
usus hic operâ atq; auspicio Virorum Consultissimorum & Excel-  
lentissimorum, Utriusq; juris Doctorem Dn. HENRICI RAHNII,  
Professoris Institutionum, Dn. JACOBI SEBASTIANI LAUREN-  
BERGII, Historiarum Professoris, & Dn. CUNRADI SCHUCK-  
MANNI, Professoris Vicarii, nec abiit hinc, nisi editâ in ante-  
cessum Disputatione, eleganter conscriptâ, de Dominio & hujus  
acquirendi modis Jure Gentium, eaq; in publico Aroaterio,  
sub Praesidio Dn. D. CUNRADI SCHUCKMANNI, doctè defen-  
sâ. Sic igitur peregrè profectus, & illustribus quidem Germa-  
niae Academiis ac Urbibus aliis perlustratis, in almâ Argentora-  
tensi aliquantò diutius subsistens, ibidem Viros Amplissimos &  
Consultissimos juris Utriusq; Doctores & Professores Dn. JO-  
HANNEM OTTONEM TABOREM, nunc Illustrissimi & celsissi-  
mi Principis ac Domini, Domini GUSTAVI ADOLPHI, Ducis  
Mecklenburgici, Domini nostri clementissimi Cancellaria Dire-  
ctorem, & Dn. JOHANNEM REBHAN, docentes publicè audivit:  
Argentorato delapsus Rheno secundo, visisq; Academiis & urbi-  
bus ei adjacentibus, ac deinceps Bataviâ, Selandia, Flandriâ, per-  
agratis, in Angliam trajecit, ibiq; partim Londini apud cha-  
rissimum Patrum Senem, Regium quondam Pictorem artifi-  
ciosissimum, partim in celeberrimâ Oxoniensi Academiâ, & il-  
lic clarissimorum Virorum Dn. RICHARDI ZOUCHI, J. U.  
D. & P. P. (Auctoris Tractatus, qui fecialis Juris & Judiciâ  
intergentes, nomine R. Z. inscribitur) & THOMÆ BARLOVII,  
Theolog. Licentiati, famosq; Bodliana Bibliotheca Proto-Bi-  
bliothecarii favore gavisus, sesquiannum exegit. Tandem ad  
nos reversus, de consilio & voto suorum, à collegio Facultatis no-  
stre




stra supremum laboris Studiorumq; Brabeum decenter expe-  
tuit, & facile à nobis ad consuetà Examina admissus, cum se,  
quem diximus probavit, hoc est, dignum qui referat suo merito  
quod ambivit modestè. Reliquum adhuc est, ut indicavimus,  
Examen publicum, in quo meas HEINRICI SCHUCKMANNI Ju-  
ris Utriusq; Doctoris, Codicis Professoris & Ducalis Consistorii As-  
sessoris, ceu quà actū hunc Decani ac Præsidis (què & atas granda-  
va & corporis infirmitas excusant) vices ac locum Dn. HEINRI-  
CUS RAHNIUS, J. U. D. Professor, idemq; Assessor Consistorii  
Ducalis, collega & Compater meus plurimum colendus, haud  
gravatim sustinebit. Hunc ipsum ergò Inauguralis Disputa-  
tionis actu, in cui præfinitus, volente DEO, dies 20. Maij, ut Magni-  
ficus Dn. Rector, Dnn. Professores, Doctores, Licentiati, Re-  
verendum in hac civitate Ministerium, Artium Linguarumq;  
Magistri, & ornatissimus Studiosorum Juvenum coetus, aliq;  
Literati ac fautores Literarum honorifica amplissimâq; præsen-  
tiâ, studio ac benevolentia condecorare dignentur, est quod offi-  
cioso ac peramanter rogamus, optimumq; Deum,  
ut hoc & similia posthac Exercitia in  
pace obire liceat, præ-  
camur.


P. P. Rostochl, 27. Aprilis, Anno  
1656. cum Sigillo Facultatis  
nostræ.






















IN SOCIET. GENT. & SOCIET. ARB  
ministratio concessa, quamvis dissent, Merckelbac  
1. conf. 13. n. 61. & inibi all.

§. 9.

Annumerari quoque potest in Germaniâ  
riis publicis VII. Societas Clientelaris, quæ inter P  
intercedit, & in Imperio admodum frequens est  
Dn. Becman, in pol. par. c. 11. §. 4. Sicut autem hîc P  
omnia illa jura concedenda sunt, sine quibus o  
auxilio adjuvare non potest, quò etiam jus mi  
quando jus apertura pertinet; Dn. Stryk. de ju  
c. 1. n. 125. seqq. Dn. Fritsch. in Tr. de iure  
seqq. Ita impunis est Clientum erga Protec  
si vel etiam quò ad hæc jura pacto sibi prospexerint,  
sales inter Protectorem & Clientes usitata, vid. i  
vers. c. 7. vel justam non parendi causam habeant,  
in se imperium quærere metuant, aut illius mil  
oso veniant, ubi jus apertura licite denegabunt. v  
jut c. 2. §. 18. Multo magis autem impune inobe  
tector sub protectionis pretextu Superioritatem fi  
res tribuere, & e. g. actus jurisdictionis exercere,  
10. Qu. 2. vel Clientes, (ubi tamen casum summ  
Dn. Wildvog. in Diss. De protect. cens. (c. fin. n. 10.) c  
vol. 1. conf. 12. n. 31. Dn. Lyncker. Decatastris c. 3. §.  
& adhærentes non fiant subditi, Klock. conf. 37. n.  
dus Protectorium jus superioritatis inferat,  
Reichs vogten p. 417. & 489. & ibi. all. Mag. de  
& c. 3. n. 401. Böcler. in not. S. R. J. L. 16. c. 3. §. 3. & C  
quidem plenariis subditis æquiparentur, in oneri  
minationem non teneantur, Dn. Stryk. all. l. n. 134.  
tibus in vito Protectore Jus Protectionis excutere li  
dum videtur, si pro Protectione certus census  
cum jus Protectori semel ex contractu quæsitur  
nequeat: Se. u. vero, si gratuita sit protectio, ub  
renunciare utiqve poterunt, cum Protectoris ho  
vid. omn. Mantz. Dec. Pal. Qu. 18. n. 5. & 34.

the scale towards document

957.  
177  
6. Vol.  
bitra-  
lientes  
apud  
tentes  
eri &  
& ali-  
terr.  
n. 17.  
entia,  
Rever-  
r. Re  
torem  
ntagi-  
as. ad-  
i Pro-  
Clie-  
teseb.  
xcipit  
Klock.  
derati  
c. tæ-  
on deñ  
n. 439.  
modis  
deser-  
Clie-  
neg an-  
etur,  
uferri  
avori  
erlit,  
S. 10.